A & omen ſecerit ejus, quam matris dolo inſtructus fratri præripuit, primogenituræ in ſe transferendæ.

SALOMON acceperat regnum à patre adoleſcens, ne puer dicam, quum in anceps judicii genus incidit. Ignobilis puerpera filium nuper natum necavit, incauto accubuit. Hæc (infamiæ metu, an alendi ſtudio, non traditur) occultè, quod ſatis conſtat, alteri puerperæ filium ſubtrahit ſuo ſimilem, enectum ſubtracti loco, quieſcentis lateri leviter applicat. Oritur inter eas contentio, poſtque longam altercationem, ad regem itur. Stabat populus in concionis modum circumfuſus, ancipitis judicii exitum expectans, ex eo, qualem habiturus eſſet regem, judicaturus. Erat muliebris aſſertio rixæ (ut fit) & jurgio ſimilior quàm liti. Tum rex: Ite, inquit, & quando lis aliter expediri non poteſt, puerum in duas partes diſſectum, utrique dimidium date. Tum vera mater: Quin vivat potiùs, inquit, atque illa integrum puerum habeat. Arripuit vocem ſapientiſſimus rex, veritatis teſtem: puerumque huic addixit, in quo ſervando maternus extiterat affectus. *Sabellicus lib.1. cap.4.*

DANIEL puer Suſannam matronam pudiciſſimam à duobus
B Senatoribus falſo judicio circumventam, prudentia divinitùs inſpirata à morte liberavit, & hoc ipſo tam præclaro facto, quantus olim in Eccleſia Dei futurus eſſet propheta, ſpecimen dedit. *Hiſtoria Suſannæ.* Hic, ſecundùm Theodotionem, antequam judicaret, appellatus eſt puer: poſtquam verò excitavit in eo Deus ſpiritum, & judicavit ſenex, accepit presbyteri dignitatem. *Hieronymus comment. lib.2. in Eſajam, cap.3.*

HYRCANUS II. puer miſſus à patre Joſepho Judæorum principe Alexandriam, uti Ptolemæo Epiphani propter natum puerum gratularetur, cæteris fratribus recuſantibus, quòd aulicos mores ſe ignorare dicerent: ab Antione patris Joſephi quæſtore mille talenta extorſit: centum pueros totidemque puellas: talento ſingulos emit, eoſque ſingulos talentum ferentes, Regi & reginæ Cleopatræ obtulit: admirantibus omnibus tam inſperatam munificentiam, cùm reliqui Syriæ principes vel opulentiſſimi non plùs quàm viginti talenta obtuliſſent. Id autem inſcio patre egit, ut Regis gratia comparata, contra fratrum inſidias tutior eſſet. Porrò ad convivium Regis vocatus cum cæteris principibus, infimo loco
C juſſus eſt accumbere, propter ætatem. Reliquis autem convivis oſſa ante Hyrcanum congerentibus, Tryphon quidam cujus facetiis plurimùm in conviviis rex delectabatur, rogatus à convivis ad regem ſe vertit: &, Videſne, inquit, quantum oſſium ante Hyrcanum jaceat? Hinc igitur collige, quòd & pater ejus totam Syriam ita ſpoliat, quemadmodum hic oſſa nudavit carnibus. Rege ad hoc dictum arridente, & rogante Hyrcanum, Unde illa oſſium congeries? Nihil mirum inquit, domine: canum enim eſt oſſa unà cum carnibus abſumere, ſicut iſti faciunt. Homines autem comeſis carnibus ſolent abjicere oſſa, quod & ego, homo cùm ſim, nunc facio. Rex juſſit, omnes convivas huic dicto applaudere. *Joſeph. lib.12. c.4. Antiq.*

CYRUS etiamnum puer in Mediam cum matre profectus quum videret Aſtyagem avum regem ſub picturatione oculorum, & coloris infricatione, & appoſititiis comis Medorum more ornatum: Quàm pulchrum (inquit) avum habeo, mater! Illa verò quum rogaret, Uter ipſi pulcrior videretur hiccine, an pater? reſpondens Cyrus: Perſarum quidem, ait, ò mater longè pulcherrimus eſt pater meus: Medis autem,
D quotquot equidem vidi, quum in viis, tum oſtiis, multùm avus hic meus elegantia præſtat. Hoc reſponſo & avi muliebrem & patris virilem formam prudenter expreſſit. *Xenoph. lib.1. Pædiæ.*

THEMISTOCLEM conſtat puerum etiamnum ardoris animi plenum fuiſſe, indole ſapientem, ſtudio ad res magnas propenſum, natumque ad rempub. tractandam. Quod remiſſionis & otii à literis diſcendis dabatur, id non puerorum more aliorum per luſum & oſcitantiam terebat: ſed inveniebant orationes eum ſecum meditantem & componentem. Argumentum orationum illarum accuſatio erat aliqua, vel defenſio puerorum. Diſciplinas morales, ac voluptatem vel urbanitatem conferentes, ſegniter & lentè arripiebat. Quæ verò de prudentia vel actibus rerum tractarent, eas præter ætatem amplectebatur. Unde poſtmodùm cùm derideretur ab iis, qui videbantur liberalibus & urbanis exculti exercitiis, compulſus eſt arrogantiore reſponſo ſe tueri: Lyræ ſe aptandæ tractandive pſalterii eſſe rudem: ſed urbem quam parvam accepiſſet, & obſcuram, claram & magnam reddere, id ſe tenere. *Plut. in ejus vita.*

Injunxit virtus Alexandro Magno regi dignum & divinum E certamen, uno cultu, ut cunctos exornatos mortales uni audientes imperio faceret, unique aſſueſcerent vitæ rationi. Hunc cùm jam inde ab incunabulis inſitum haberet coaleſcentemque, & unà cum ætate gliſcentem amorem, poſtquam legati à rege Perſarum ad Philippum venerunt, qui peregrè erat: excipiens eos Alexander benignè hoſpitio, nihil aliorum more puerile quæſivit de aureo arbuſto, vel de hortis penſilibus, vel de Regis cultu: ſed de rebus præcipuis imperii percontabatur, quantæ Perſarum copiæ, quem locum rex in acie caperet, quando dimicaturus eſſet, Ulyſſis exemplo:

Quonam ille arma loco Maurotia equoſque teneret:

quæ viæ ad ſuperiores provincias contendenti à mari compendioſiſſimæ: ut obſtupeſcentes hoſpites dicerent: Puer hic rex eſt magnus, noſter opulentus. *Plut. orat.2. de Alexandr. fortuna, & in ejuſdem vita.*

Gorgo regis Cleomenis filia. ☞ *Vide infrà, Reſpectu modi Indoles ſe manifeſtans, §. Admonendo, Conſulendo.*

Eadem cùm eidem à famulo calceos induci videret: Hoſpes hic, inquit, pater, caret manibus. *Plut. in Lacænarum apoph.*

OTHO III. annos vix natus undecim, procerum Germaniæ F ſententia, ſolemni ritu initiatus & unctus Aquiſgrani, anno Domini 984. præfuit Imperio annos 19. & appellatus eſt ob inſignem prudentiam, quæ ipſam ætatem ſuperaret, Mirabilia mundi. *Sigebertus, & Honorius.*

Mortuo Hemmingo Danorum rege, Gotrici nepote ex filio, Syvardus cognomento Ring, Gotrici ex filia nepos, Scanis Sialandiſque imperavit. At conſobrinus ejus Ringo Jutiam occupavit. Is univerſum Imperii jus in ſeipſum transferre conatus, dum Syvardus externa bella ſectatur, Sialandiam invaſit. Sialandi filium Syvardi Regnerum propè infantem regem dixere, ut adverſum Ringonem torpentium ſociorum animos excitarent. Ringo Sialandenſes magna manu urgebat. Omnibus metu perculſis, Regnerus conſilium dedit, uti ad hoſtem tranſirent, ſed eum data opportunitate deſererent. Puerile conſilium amplexi, puerum in Norvegiam abducunt, ſimulataque defectione, cùm interim Syvardus revertiſſet, in prælio Ringonem deſeruere. Ringo in acie cæſus, Syvardus ex vulnere paulò poſt obiit, Regnerus in regno ſucceſſit. *Saxo lib.9.*

In Joanne Galeacio Mediolanenſium duce à primis ſtatim pueritiæ initiis, mira gravitatis, prudentiæ atque memoriæ G ſpecies enituit, ut plerique tantas præcocis ingenii dotes ad opimæ frugis maturitatem nunquam perventuras arbitrarentur. Ferunt enim, Galeacium II. patrem, quum ex conſuetudine conſilium advocaſſet, à puero tum fortè intentis oculis procerum ora atque habitum contemplante, per jocum quæſiviſſe, Quiſnam ſibi ex eo numero ſapientior videretur? Tum verò puerum, qui tum erat quinquennis, ſuſpenſo vultu conſideratis ſingulis, demùm acceſſiſſe ad Petrarcham, quem nunquam antea viderat, & blandè arrepta toga eum oraſſe, ut ſe ad patris ſellam ſeſſum perduci pateretur: ſtatimque magnum cum admiratione omnibus riſum obortum, quòd puer perſpicaci judicio omnium longè clariſſimum ea tempeſtate poetam delegiſſet. *Iovius in vita Galeacii.*

Aſtutiæ & Calliditatis indoles.

ALCIBIADES etiamnum puer ad Periclem avunculum deductus, cùm ſubtriſtem illum conſpicatus eſſet, Ecquid eſt, inquit, avuncule, quòd doleas? Illo verò reſpondente, Quòd H curati à ſe Propylei rationem populo reddere non poſſet: Quinimò, inquit, cogitandum tibi, potiùs quo pacto non reddas. Arripuit ſtatim Pericles puerile monitum, & patriam adeò gravi finitimorum populorum bello implicuit, ut ſolicita de ſalute Imperii civitas, aliò mentem converterit; ſicque Alcibiades patriam quam factus vir poſtmodùm evertit, jam tum puer viam, ut faciliùs rueret, oſtendit. *Sab. lib.1. c.3. & Val. lib.3. c.1. & Plut. in Alcibiade.*

Idem luſitabat in vico talis. Cùm jactus vices redirent ad ipſum, ſupervenit plauſtrum onuſtum. Ibi primùm aurigam ſuſtinere juſſit: nam incidebat jactus in viam, qua tranſibat plauſtrum: quo non parente ob ruſticitatem, ſed pergente, alii pueri removerunt ſe. Alcibiades pro vehiculo abjecit ſe in faciem, expandenſque ſe: Eo modo, dixit, ſi vellet, ut tranſiret. Ita metu homo percitus, vehiculum inhibuit: & qui id ſpectabant, conclamaverunt pavidè, accurreruntque ad eum. *Plutarchus in Alcibiade.*

Forti-

A injuſtè occidiſſet, duobus filiis privatus eſt, iis manus, qui cum Ophella venerant, inferentibus. *Diod. Sicul. lib.20.*

C. MARIUM CORIOLANUM Volſci, proditionis falsò inſimulatum, trucidavere in concione. At non multo pòſt ab Romanis fuſi ſunt acie, in qua cecidit Tullius cædis auctor, & præcipuus exercitus flos periit: fœdam pacem accipere, qua in pop. Rom. ditionem fuerunt redacti, & pacti imperata facere ſuſtinuerunt. *Plut. in Coriolano.*

Belli Piſani, & Neapolitani culpam Ludovici Sforciæ Mediolanenſis principis æmulatio atque perfidia ſuſtinuit. Quæ tamen uno ab illo fonte derivata, paulò pòſt in ipſius caput redundavit. Magnum enim hoſtem nactus, cùm Veneti ſæpiùs ab illo laceſſiti, & proditi, hominis infideliſſimi atque arrogantiſſimi ſocietatem ſemel renuiſſent, regno à Gallis expulſus, deinde etiam captus, turpiſſima in cuſtodia vitam reliquit. *Bembus lib.3. Veneta hiſt.*

EX PERFIDIA, ET CRUDELITATE erga hoſtes redditi infelices.

B Græci Trojanos ſimulatis fœderibus circumventos excidere. Perfidiæ in reditu meritas dedere pœnas. Ajax Telamonius in furorem verſus, manus ſibiipſi intulit, Menelaus variis in mari caſibus jactatus, Ajax Oilei cum navibus fulmine ictus periit, Diomedes ab uxore Ægiale expulſus, Agamemnon à Clytæmneſtra interfectus, Ulyſſes poſt varios errores tandem à Telegono filio necatus. *Dictys lib.6.*

XERXES Perſarum rex, quum Darius pater moriens dixiſſet, Marathonis memento, adverſus Græciam bellum ſuſcepit, ac primùm præcones miſit, poſtulantes terram & aquam. Verùm Athenienſes legatis urbe interdixerunt, & eum qui ſuaſerat ut parerent, lapidarunt cum uxore, & liberis. Lacedæmonii verò iis in puteum conjectis, terram ingeſſerunt. Irato autem Deo, peſtilentia conflictati ſunt. Et quum Pythius juſſiſſet, ut pro nece caduceatorum ſatisfacerent Xerxi: Bulis & Sperchis ultrò ad Perſas aſcenderunt, daturi pœnas. Rex verò admiratus, reliquit eos incolumes, & morbus deſiit. *Suidas.*

MARCI CRASSI perfidè à ſe circumventi caput Surenas Parthorum Dux Hyrodi regi ſuo in Armeniam miſerat. Hy-
C rodes inter epulas Tragœdis Penthea recitantibus illud ludibrii cauſa permiſit. Cæterùm pœnas, & crudelitate Hyrodes, & perjurio Surenas pependit dignas. Surenam enim brevi poſt invidia gloriæ ejus necavit Hyrodes; Hyrodi verò poſtquam amiſit acie à Romanis fuſum Pacorum filium, implicito morbo, qui in hydropiſim deſiit, Phraates filius ad maturandam mortem aconitum dedit. Id venenum quum morbus viciſſet, atque unà cum eo eſſet expulſum, corpus autem recreatum Regis, ad celerrimam viam Phraates converſus ſuffocavit eum. *Plut. in Craſſo.*

CAROLUS Andegavenſis Comes, regnum Neapolitanum & Siculum Clementis IV. Pontificis juſſu invaſit, Manfredum primò ſuſtulit, inde Conradinum Suevum ſecuri percuſſit Neapoli: Ac tandem manibus Conradini parentatum eſt. Namque Petrus Aragoniæ rex, qui Manfredi filiam Conſtantiam uxorem habebat, Siculorum conſpiratione Gallos omnes ad unum hora veſpertinarum precum trucidari curavit (quod facinus adhuc hodie proverbio, Veſperæ Siculæ, circumfertur in Italia) mox etiam per Rogerium de Loria Calabrum navali prælio Salernitanum principem, unicum Caroli Ande-
D gavenſis F. vicit, novem triremes cum magno Baronum numero cepit. Captivi reliqui Meſſanam miſſi, & capite ſupra ducentos plexi ſunt. Carolus cum novem ſociis in cuſtodia retentus. Interea quum Martinus Papa IV. Petrum regem diris devoviſſet, Caroli Andegavenſis morte audita, Siculi reliquias Gallorum à Rogerio captorum igni carceribus immiſſo concremarunt. Mox convocatis Syndicis urbium, Carolum Salernitanum cum novem ſociis ſecuri percutiendos pronunciarunt, quemadmodum Conradinum pater ejus percuſſiſſet. Conſtantia regina Carolo mortem denunciat feria ſexta manè. Tum ille: Hac ipſa die cum Chriſto pro me innocenter paſſo & ego nocens libenter moriar. Conſtantia animi magnitudinem admirata: Ergo & ego in Chriſti honorem ei quantum in me eſt parcere decrevi. Curavit igitur, Carolum in Cataloniam ad regem Petrum maritum vinctum deduci. *Collenut. lib.5. c.4. & 5. Hiſt. Neap.*

EDOARDUS IV. Henrico VI. capto, regnum Angliæ occupavit, & Edoardum Henrici filium, ſummæ ſpei adoleſcentem in acie captum, in ſuo conſpectu, à Georgio Clarentiæ & Ricardo Glóceſtriæ ducibus fratribus ſuis, & Gulielmo Haſtyngio crudeliter trucidari ſuſtinuit. Carnifices pœna promerita E ſecuta eſt. Nam paulò pòſt Edovardus Georgium fratrem de regni ambitu ſuſpectum, in dolio vini Cretici ſuffocari curavit. Ricardus tutor fratris filiorum relictus, iis in carcerem conjectis, ut regnum liberiùs occuparet, Haſtyngium in procerum concilio indicta cauſa ſecuri percuſſit. Ipſe vi regno occupato, Edovardum, & Ricardum fratris filios in carcere necari curavit. Sed biennio vix exacto, ab Henrico VII. regno & vita exutus eſt. *Polyb. lib.25.*

EX IMPIETATE IN PARENTES.

MICHAEL Conſtantinopolitanus Imp. Nicephori filius cum Alexio in patrem conjuratione inita, ſi victores ex prælio rediiſſent, dejecto patre, Imperium ipſi obtinerent: fortè ita planè accidit, ut ad Dyrrachium à Roberto Guiſcardo duce ipſe interficeretur cum Alexio, ſicque cogitati ſceleris juſtiſſimas pœnas lueret. *Egnat. lib.9. c.11.*

ABSALON, quòd impius erga parentem eſſet, à Domino punitus, & in trunco arboris ſuſpenſus crinibus, vitam amiſit. *2. Reg.18. & 1. Reg.15.* F

Quum Ludovicus Germaniæ rex Francofurti ad Mœnum conventum ageret, ibi in frequentiſſimo conventu Carolus minimus natu filiorum Regis ſubitò proſiliit, menteque emota inſanire cœpit, abjecto enſe & baltheo, veſtem quoque exuturus; ſed à robuſtiſſimis viris ægrè retinetur, & modò tenui, modò majore voce mugiebat magis quàm clamabat, hiantique ore dentibus minabatur. Tum Ludovicus alterum filium ſibi cognominem (qui unà cum Carolo aliquoties adverſus patrem & Carolomannum fratrem conſpirarat) ut exemplo fratris reſipiſcat, hortatur. Carolus in templum deductus, ſolemnibus ſacrificiis à Luitberto Moguntino luſtratus & expiatus, in ſenſuſque priſtinos reſtitutus, propalàm pro concione confitetur, continuò ſe incurſum conturbatæ mentis ſenſiſſe, poſteaquam in animo conceperit, ſe adverſus parentem, quòd is ſibi ſolam Sueviam tribuiſſet, res novas moliturum. *Aventin. lib.4. Annal. Bojorum.*

OB PERFIDIAM ERGA CONJUGES Infelices.

Ob cædem injuſtam Mariamnes reginæ, peſtilentia graviſ- G ſima Hieroſolymorum urbem afflixit, & magnam optimatum ſtragem fecit.

☞ *Vide Titulum, infortunata conjugia, ex Joſephi l.15. cap.11.*

EX PERFIDIA ERGA FRATRES, Nepotes.

Abimelech ob crudelitatem erga fratres miſerè periit.

☞ *Vide Tit. Tyrannorum.*

COLOMANNUS Hungarorum rex, filio ſuo Stephano ſtabile regnum relicturus, de ſententia quorundam familiarium ſuorum Almanum fratrem ac nepotes excæcari juſſit. Item Belę nepoti adhuc infanti teſtes exſcindi mandavit. At ille cui patrandum facinus delegatum erat, quum divinam iram, ac regni orbitatem reformidaret, exertos catuli teſtes pro iis qui forent infantis, ad Colomanum tulit, pioque commento Regis ſævitiam eluſit. Verùm dirum Regis animum præſens ſupplicium eſt ſubſequutum. Nam vix Almanus cum filio oculis orbatus in Demeſienſe cœnobium traductus erat, quum Colomannus repentino morbo correptus, ingenti capitis H dolore laborare cœpit. Medicus illi erat Draco, cui plurimum confidebat. Hic remittendi doloris cauſa, auribus cataplaſma admovit. Quod quum diutiùs rex pati non poſſet, removit, illudque inſpiciendum Othomaro porrexit. Qui comes regius, quum eductum in eo cerebrum intueretur, eveſtigiò exclamavit: Cataplaſma certiſſimum lethi ſignum oſtendit. Proinde quæ ad æternam ſalutem pertinent, imprimis cura, mox regnum diſpone, ac ede teſtamentum, ne nos tecum periclitemur. Ad hæc rex ingemuit, plus humanis, quàm divinis rebus intentus, & tertio pòſt die vita exceſſit. *Bonfin. lib.5. Decad.2.*

EX PERFIDIA ERGA SERVOS.

Quum Lacedæmonii contra ſervos Tænerenſes, qui ex Ilotarum genere erant, per vim atque perfidiam inſurrexiſſent, ac crudeliſſimè eos interfeciſſent, divinam ob tantam immanitatem experti ſunt ultionem: Mox enim tantus terræmotus urbem concuſſit, ut quatuor tantùm ædificia relinque-

A querentur, quæ non proſternentur. *Aelianus lib. 6. de var. hiſt.*

EX SEDITIONIS, DEFECTIONIS,
Belli ſtudio infelices.

Seditioſorum Iſraelitarum contra Moyſen pœnas.

☞ *Pete ex Tit. Clementiæ Principum erga ſubditos.*

Sichemitæ, quoniam Abimelech ſpurio Gedeonis ex concubina Bichemenſi adhæſerant, & ei LXX. argenteos ex cæde Baalberith dederant (quibus ille nefarios homines conduxerat, & LXX. ſuos fratres, excepto Joatham, Ephræ in uno ſaxo interfecerat, & ſic Imperium obtinuerat) tandem divina ultione, quum ab Abimelech defeciſſent, ab eodem trucidati ſunt.

☞ *Vide Tit. Tyrannorum, item Dirarum, & Imprecationum.*

C. Civilius (Livio Calvilius) Albanorum rex, qui Romani nominis odio bellum inter amiciſſimos populos excitavit (quando Romulus & Remus Alba oriundi fuere) antequam B ad arma venirent, periit. Fuitque ejus mors eò mirabilior, quòd neque morbo eſt extinctus, neque veneno, neque alterius injuriæ ſigno in ejus corpore exiſtente. Perſuaſum multis, ira numinis eum interiiſſe, quòd auctor ab initio fuiſſet belli inter cognatas urbes ſerendi. Non defuerunt, qui per adverſæ factionis viros eum nocturna vi necatum interpretarentur: quidam mœrore, & anxietate confectum arbitrati ſunt, quòd parum proſperè res Albana à ſe mota videretur. *Sabel. lib. 4. En. 2.*

Joannes Aloysius Fliscus, cujus præceptor fuit Paulus Panſa, vir literis, & doctrina polítiſſimus, in vita & moribus integerrimus, ſed ad dominium capeſſendum, & crudelitatem natura proclivis, quam auxit ſedula lectione vitæ Neronis, Catilinæ conjurationis, & libri Machiavelli, quem Principem inſcripſit. Invidens itaque fortunæ, & felicitati Auriarum, imprimis Janettini, juventutem in Carinianum ad cœnam vocat, nomine libertatis Rempublicam invadere tentat armata manu, portum invadit, horribili clamore militum, libertatem crepantium, omnia complet. Verùm in eo tumultu dum à trireme prætoria, ad eam quæ proxima erat, tranſcenderet, mobi-C li ponte, per quem ferebatur, ad agitationem triremis, delapſo in parvam languentemque maris aquam decidit, ibique cum tribus militibus vitam miſer reliquit, A.C. 1547. Uxorem Eleonoram, quam Panſæ in Cariniano commendavit, nefandum facinus agreſſurus, ita alloquitur: Aut me non videbis ampliùs, aut craſtina die minora infra te videbis omnia.

EX PERJURIO, FALSA ACCUSATIONE.

Barbaros, qui jurisjurandi religionem violaſſent, laudare ſolebat Ageſilaus, eò quòd pejerando ſibiipſis deos infeſtos redderent, ipſi verò ſocios, & amicos. *Aelianus lib. 14. de varia hiſtoria.*

Polemarchum, quòd perjurio Corinthiorum claſſem evaſiſſet, fingunt, quoties noctu ſomnum caperet, à muſtelis morſum, ac tandem deſpondentem animum, ſibi mortem conſciviſſe. *Heraclides.*

Malè ſibi conſcii tres flagitioſi homines, dum judicium ac reprehenſionem Narciſſi Epiſcopi metuunt, eum certi cujuſdam infamis criminis inſimularunt: juramento execrationeque D interpoſita, ut ignis primum abſumeret, niſi verum diceret: ſecundum ſævus corriperet morbus, ſi quicquam mentiretur: tertio viſus eriperetur, ſi falſum protuliſſet. Narciſſus otii, & tranquillitatis cupiditate in agros ſe ſolitarios abdidit. Teſtium verò non ita multò pòſt unuſquiſque illud ipſum quod ſibi perjurio imprecatus erat, expertus eſt. Prioris ſiquidem parva de ſcintilla domus, qua recipiebatur, ſuccenſa, incendio tota cum ipſo conflagravit. Alter ſævo morbo confectus, miſerè extinctus eſt. Poſtremus divinam vindictam exitu priorum æſtimans, lugendo noctes totas, utriuſque oculi viſu privatus eſt. *Euſeb. lib. 6. cap. 9.*

Sub Conſtantino Imperatore Stephanus Antiochenus Epiſcopus Arianus, per Onagrum adoleſcentem perditiſſimum, ſcortum infame in hoſpitium illud, ad quod Epiſcopi duo orthodoxi Euphrates, & Vincentius diverterant, veſperi clàm introduci curavit, & non procul ab illis ædibus conſtitui ſpeculatores, qui ſtrepitum, & turbas excitarent, quaſi Epiſcopos fornicantes deprehendiſſent. Procedente dolo, clamore orto mulier comprehenſa, & interrogata, à quo introducta eſſet? contrà quàm inſidiatores illi expectabant, rem totam expoſuit. Ductus deinde ad judices, ex illis, qui in diverſorio ſimul E capti, & comprehenſi erant, natu minimus, ultrò ac ſine tormentis fabulam eam, & compoſitionem ſceleſtam omnem explicavit, Onagrum auctorem eſſe confeſſus: qui adductus, faſſus & ipſe eſt, ſe, quicquid ſit ejus, feciſſe Stephani juſſu. Itaque Stephanus à ſynodo Sardicenſe depoſitus eſt. *Theodor. lib. 2. cap. 9. & 10. Socrat. lib. 2. cap. 22.*

EX PRODITIONE INFELICES.

Potiti fuerant Pœni in Italia belligerantes Tarento urbe, non vi bellica, ſed proditione; eſtque à Romanis id oppidum pari opera receptum. Unde vox illa Annibalis: Eadem arte, qua cepimus, Tarentum amiſimus. *Sabel. lib. 10. cap. 4.*

Primi omnium Lacedæmonii ex omni antiquitatis memoria hoſtem dicuntur muneribus ſolicitaſſe, & venalem feciſſe belli eventum. Priùs enim quàm ab illis circumveniretur Ariſtocrates Arcadum rex, à quo Meſſenii bello ſecundo Meſſenico proditi ſunt, virtute, fortuna, deorum præſidiis res bellica ſtabat. Conſtat verò, Lacedæmonios eoſdem, & in ſequentibus deinde temporibus, cum ad Ægos flumen claſſi Athenienſium occurriſſent, & alios hoſtium prætores, & Alimantum F in primis mercede ſibi devinxiſſe. Verùm ſuis & ipſi artibus ſuperati ſunt. Nam cùm maximè opibus florerent, detecta Athenienſium claſſe, magna Aſiæ parte Ageſilai ductu occupata. Imperium illi quidem non prorſus amiſerunt, ſed ipſorum arte Perſarum rex uſus, miſſa Corinthum, Argos, Athenas, Thebas pecunia, bellum in Spartanos concitavit, quod eſt Corinthiacum appellatum. Quæ fuit cauſa, ut Ageſilaus in Græciam, omiſſa Aſiatica expeditione, exercitum reportaret. Dolum itaque Lacedæmoniorum dii in ipſorum vertere perniciem. *Pauſan. in Meſſenic.*

CORPORIS MALORUM.

☞ *Huc illi, qui ex Morbo, ex Senio res infeliciter geſſere.*

MALORUM FORTUITORUM.
Infelices facti ex Converſatione cum improbis.

Abraham, quamdiu cum perverſis hominibus in Hur Chaldæorum vixit, non legitur Dominus apparuiſſe. Sed poſtquam G inde exivit, multoties divinis apparitionibus fuit illuſtratus. *Geneſ. 13. 15. 17. & 18.*

Cùm quidam de proſapia Saul ſuperſtites eſſent, contra Domini mandatum, fames totam Judæorum terram miſerè afflixit. Illis tandem cruci affixis, Gabaonitarum opera, fames ceſſavit. *2. Reg. 25.*

Sueſſa Pometia urbs florentiſſima, deportata in eam Valeria, fatali excidio everſa eſt.

☞ *Vide Tit. Partus non naturalis.*

Fœdere cum improbis.

Cùm ex divino mandato omnes Palæſtini ab Iſraelitis occidendi eſſent, neque illi tamen paruiſſent, ſed cum quibuſdam fœdus percuſſiſſent, malè à Domino multati ſunt. *Jud. 1. 2.*

Josaphat rex Judæorum, licèt rectè vixiſſe prædicetur coram Domino, quia tamen amicitia illi interceſſerat cum Ochozia rege Iſraelitarum omnium peſſimo, per Prophetam Eliſeum arguitur, & claſſis quam cum ipſo communem habebat, priùs quàm Tharſis, quò miſſa fuerat, perveniſſet, naufragio periit. Rurſum alias naves communicatis impenſis ædificare ab Ochozia tentatus, renuit: jam damno ſatis edoctus, ne inno-H centi quidem ſecurum eſſe cum perditis hominibus commercium. *Marulus lib. 3. c. 7. ex 2. Paralip. cap. 20.*

Quandiu Judas Machabæus confidens de divino auxilio geſſit bella pro populo ſuo, benè ei ſucceſſit. Cùm verò inivit amicitiam & ſocietatem cum gentilibus Romanis, licèt tunc potentiſſimis, citò pòſt ſuperatus fuit, & in bello cecidit. *1. Machabæor. 2. & 9.* Idem accidit Jonathæ, fratri Judæ. *2. Machab. 12.*

BONORUM ANIMI.
Infelices facti ob Sapientiam.

Medea Jaſonem ſecuta in Græciam, quia peregrina eſſet, & reliquis ſapientior, invidiæ erat obnoxia. Proinde Corintho excedere juſſa à Creonte, ſuam deplorat calamitatem, *apud Euripidem in Medea:*

Οὐ νῦν με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις, Κρέον,
Ἔβλαψε δόξα, μεγάλα τ' εἴργασαι κακά.
Σοφὴ γὰρ οὖσα, τοῖς μὲν εἰμ' ἐπίφθονος,
Τοῖς δ' ἡσυχαία, τοῖς δὲ θατέρου τρόπου,
Τοῖς δ' αὖ προσάντης.

Non

A Non nunc me primùm, ſed ſæpè, Creon, læſit exiſtimatio, magnaque patravit mala; Sapiens enim cùm ſim, aliis ſum invidiæ obnoxia, aliis quieta; aliis porrò neſcio cujus moris, aliis etiam advena.

Eloquentiam.

Juvenal. ſatyr. 10. de ſtultis votis agens, inter cætera ſic ſcribit:

Eloquium ac famam Demoſthenis aut Ciceronis
Incipit optare —
Eloquio ſed uterque peribit orator: utrumque
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons:
Ingenio manus eſt, & cervix cæſa, nec unquam
Sanguine cauſſidici maduerunt roſtra puſilli.

Juſtitiam.

Aristides non aliam ob cauſam in exilium decennale ablegatus eſt, niſi quòd moleſtum eſſet populo Juſti cognomen illi vulgò tributum. *Plut.*

BONORUM CORPORIS.
Infelices ob Pulchritudinem.

B ☞ *Conſule Locum Pulchritudinis, quæ plurimis obfuit. Item Titulum Raptorum.*

Helena apud Euripidem formam ſuam Græcis pariter, & Trojanis calamitoſam his verbis deplorat:

Τὰ δ' ἐμὰ δῶρα Κύπρις ἔτεκε,
Πολὺ μὲν αἷμα, πολὺ δὲ δάκρυον,
Ἄχεά τ' ἄχεσι, δάκρυα δάκρυσιν.
Ἔλαβε πάθεα.
Ματέρες τε παῖδας ὤλεσαν·
Ἀπὸ δὲ παρθένοι κόμας
Ἔθεντο, σύγγονοι νεκρῶν.

Sed mea dona Venus peperit, multum ſanguinem, multas lacrymas, & dolores cum doloribus, lacrymas cum lacrymis, acceperunt paſſiones, & matres filios amiſerunt, & virgines comas depoſuerunt, ſorores interfectorum. *Et rurſus ibid.*

Αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι διὰ τὸ κάλλος εὐτυχεῖς
Γυναῖκες· ἡμᾶς δ' αὐτὸ τοῦτ' ἀπώλεσεν.

Cæteræ propter pulchritudinem felices ſunt mulieres: ſed nos hoc ipſum perdidit.

C Lucretiæ & Virginiæ exempla, *Juvenalis ſatyr. 10.* his verbis citat:

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater,
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipſa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque ſuam Rutilæ dare. Filium autem
Corporis egregii miſeros trepidoſque parentes
Semper habet. Rara eſt adeò concordia formæ,
Atque pudicitiæ.

Robur.

☞ *Ex Tit. Luctatorum, exempla quædam petantur, quatenus robore abuſi male perierunt.*

Longævitatem.

Gnejus Pompejus primo ex Africa de Domitio, altero ex Europa de Sertorio, tertio ex Aſia ducto, quaſi de orbe terræ tribus triumphis invectus eſt viſus. Ætate tunc erat, ut illi volunt, qui in omnibus cum Alexandro illum conferunt, quatuor & triginta annis minor, reverà attingebat quadrageſimum: qui utinam tum vitam depoſuiſſet, quoad fortunam D habuit Alexandri. Ulterius tempus plenas invidiæ attulit ei proſperitates, & acerbiſſima infortunia. *Plut. in Pompejo, & Sabel. lib. 4. Enn. 6.*

BONORUM FORTUITORUM.
Infelices ob Divitias, Ubertatem.

Zacynthii bellorum ſunt ignari, propterea quòd in magna rerum copia, ac divitiis, deliciarum ſtudio tenebantur. *Polybius lib. 7.* Capuæ viros, quæ eſt in Campania, ob terræ mirandam ubertatem opulentos, ſcribit in voluptatem ita prorupiſſe, ut vel Crotonis Sybariſque civium famam traditam longè ſuperaverint. Hi igitur cùm præſentem rerum felicitatem perferre non poſſent, Annibalem ad ſe vocarunt, quare in eos Romanus Senatus graviter animadvertit. *Athen. lib. 12. c. 11.*

Subacta à Scotis, & Pictis Britannia, à Maximiano tyranno & militibus, & incolis in Armoricam traductis exhauſta, civili item bello inter plebejos, & nobiles orto, miſerè lacerata eſt. Secuta fames ingens tres continuos annos permultos abſumpſit. Hanc ſecuta frugum ubertas, quantam nulla retrò acta ætas meminit. Unde luxuries inſolita, omniumque ſcelerum colluvies, inter Britones, deliciis, & voracitati, neglecta majorum virtute, deditos nata: crudelitas inſuper, veritatis E odium, amor mendacii, atque alia innumera hominibuſque indigna flagitia: adeò ut ſi quiſpiam mitiùs ſe gereret, aut veritati propior videretur, in eum quaſi patrii inſtituti ſubverſorem, omnium odia telaque torquerentur. Et non modò populares (ut refert Beda) ea inficiebantur labe, ſed & nobiliores gentis, imò Chriſti Sacerdotes, ac Dominici gregis paſtores, eo tempore aleatores facti, ebrietati, litigio, contentioni, invidiæ, cæteriſque hujuſmodi facinoribus ſua colla impudenter ſubdiderunt. Perdidit ea lues Britannicam gentem opibus, virtute, belli gloria olim pollentem, crudeliùs longè quàm anteà unquam gladius. Acceſſit dira peſtis, quæ brevi tantam vim hominum ſtravit, ut ſepeliendis mortuis vivi non ſufficerent. Sed nec pereuntium calamitas, nec mortis timor, quos plaga non percuſſerat, ab animi morte potuit revocare: adeò corruptus ille populus, flagitiis ſeſe addixerat. Hæc fuere in cauſa, ut brevi gens ea Numinis ultione, ſuapte culpa Saxonum armis expugnata, amiſſo regno, nunquam deinceps priſtinum ſuum decus recuperare potuerit. *H. Boeth. lib. 8.*

Civitatem munitam. F

Reliquis urbibus commoditati ſunt murorum munimina, Præneſtini autem cladi, propter Romanorum ſeditiones. Confugientibus enim eò ſeditioſis, & per obſidionem deprehenſis, & urbem vaſtari, & agrum alienari contigit, ad inſontes culpa relata olim. *Strabo lib. 5.*

Victoriam.

☞ *Exempla quædam Tit. Intemperantes in genere.*

Commiſſo apud Iſmenum prælio, in congreſſu victi ſunt Thebani, & compulſi in fugam, intra mœnia ſeſe receperunt, tanquam Argivi oppugnationis eſſent ignari. Porrò quum illi magis ira quàm arte irruerent, non pauci à Thebanis è muro jaculis ſunt interempti. Poſtremò vicerunt & alios, in palantes turbatoſque facta impreſſione, ita ut totus exercitus excepto Adraſto, interiret. Neque parvo ea victoria conſtitit Thebanis, & ex eo victoriam conjunctam cum exitio eorum, qui vicerunt, Cadmeam appellant. *Pauſan. in Bœoticis.*

Magnam gloriam adepti Bœoti poſt res Leuctricas, in con-G vivia converſi, ac ebrietates, bonam partem rerum ſuarum in convivia abſumpſere, ſic ut multi eſſent, quibus plures eſſent cœnæ, quàm dies in menſe. Quam conſuetudinem ægrè ferentes Megarenſes, ad Achivos defecerunt. *Polybius lib. 20.*

Spartani nullam omninò acquirendæ pecuniæ rationem habebant, quòd ex quodam oraculo acceperant, Spartæ ſolam pecuniæ cupiditatem fatalem fore. At Lyſander vir frugaliſſimus, & auri continentiſſimus, quibus ipſe te[m]perabat, his inundavit civitatem. Nam captis Athenis, immenſam auri vim Spartam miſit. Ea res Spartam perdidit. *Plutar. in Licurgo.*

De Rom. avaritiæ fomite ſic ſcribit *Ovid. lib. 1. Faſt.*

Pluris opes nunc ſunt, quàm priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.
At poſtquam fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit ſummos vertice Roma deos:
Creverunt & opes, & opum furioſa libido,
Et cùm poſſideant plurima, plura petunt.
Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant, H
Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.

Scribit *Livius*, Cn. Manlio Volſone de Aſiaticis triumphum ducente, luxuriam peregrinam primùm invectam in Urbem. Inde, lectos primò æratos, & veſtem ſtragulam precioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectilis habebantur, monopodia, & abacos adduxere milites. Tunc pſaltriæ, ſambùciſtriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis; tunc coqui in precio eſſe cœperunt. *Cælius lib. 7. cap. 12. A. L.*

TEMPORIS. INFELICITAS PUNCTO
temporis acquiſita.

Poſtquam Carolus Burgundiæ dux ab Helvetiis primo congreſſu cæſus eſſet, quos primùm ultrò ſuam ambire familiaritatem viderat, jam tergiverſabantur. Galeacius Mediolani dux potentiſſimus fœdera cum ipſo pacta deſerit. Renatus Siciliæ rex, eum ſecundis rebus hæredem inſtituere cogitarat: At hoc viſo vulnere, ad Galliæ regem deficit. Sabaudiæ quoque

A que Domina, quæ multis annis averſo fuerat à fratre Rege Galliæ animo, & Carolo adhærebat, ultrò quoque ad fratrem tranſibat. Dumque hæc geruntur, interea multæ aliæ Germaniæ civitates, conjuratione facta, magnis animis bellum adverſus Carolum parant. Ita quidem, ut qui plurimùm ei noceret, is maximè crederetur officium feciſſe. *Ph. Cominæus 7. Comment.*

INFELICITATIS POSSESSIO, RESPECTU PERSONARUM POSSIDENTIUM.
Sic dantur
HOMINES INFELICES
in genere.

In Iphigenia Aulodenſi apud Euripidem ſic chorus alloquitur Agamemnonem:

Οὐκ ἐπὶ πᾶσι σ᾽ ἐφύτευσ᾽ ἀγαθοῖς,
Ἀγάμεμνον, Ἀτρεύς·
Δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι
(Θνητὸς γὰρ ἔφυς) κἂν μὴ σὺ θέλῃς,
B Τὰ θεῶν οὕτω βουλόμεν᾽ ἔσται. id eſt,

Non te ſevit ad omnia læta, Agamemnon Atreus: gaudere atque dolere neceſſe eſt (mortalis enim es) ſin tu nolis, tamen eveniet, ſic diis placitum.

In ſpecie. Infelices.

Populi.

Zenodotus Ariſtotelem auctorem citat, Cythnios uſque adeò divexatos afflictoſque fuiſſe Amphytrione, ut in proverbium abierint, Κυθνώδεις συμφοραί, pro maximis cladibus, & immenſis calamitatibus. Eſt autem Cythnus ex inſulis Cycladibus una, contra Dryopidem ſita, teſte Stephano. *Eraſm. in Adag.*

Quum Arnulphus Imperator bellum gereret in Zuendebaldum Moraviæ regem potentiſſimum, imperatorium jugum ſubire recuſantem, clauſtra, quibus excludebantur Ungari, gens Scythica laxavit: illorum opera in hoſtem uſus, cæterùm magno malo cæterorum Chriſtianorum, feram gentem immiſit provinciis Chriſtianis. Pannonias enim antiquam ſe- C dem exterarum nationum occupavere. Nam vetuſtiſſima memoria eam apprehenderant Gothi, pòſt illos Hunni, pulſis Gothis: Longobardi poſt illos, pulſis Hunnis. Quum illi tenderent in Italiam, Hunni ſedes acceperant eaſdem ab Longobardis, precariò, ut, ſi qua neceſſitas illis revertendi ingruiſſet, haberent, quò reciperentur. Sed Longobardis in Italia permanentibus, permanſit ſedes Hunnis uſque ad tempora Caroli Magni, qui gentem, omni nobilitate in acie cæſa, ſatis extenuavit. Tunc verò advenæ Ungari conſanguineis ſuis (ut putatur) Hunnis ſupervenere. Mira res, tam numeroſum populum, tam crebris agminibus ex vaſtis ſolitudinibus motum ſemper eaſdem ſedes in Pannonia petiiſſe, quaſi illa provincia decreta ſit recipiendis advenis. *Crantzius lib. 2. Saxoniæ, cap. ult.*

Familiæ.

Chorus interempta jam Clytemneſtra, in ædibus Coloni, cui uxor data fuerat Electra, *apud Eurip. in Electra*, de Tantalidarum familiarum calamitate ſic ait:

Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς οἶκος ἀθλιώτερος
Τῶν Ταντάλειων, οὐδ᾽ ἔφυ ποτ᾽, ἐκγόνων.

Non eſt ulla domus calamitoſior, quàm Tantali; neque extitit D unquam, nepotum.

Reges.

Seleucus Aſiæ rex dicere ſolebat: Si ſciret vulgus, quàm laborioſum ſit legere ac ſcribere ſolùm tot epiſtolas, diadema ne humo quidem tollere dignaretur. *Plut. an Seni tractanda ſit Reſpub.*

Lucianus, Myronis & Praxitelis coloſſos ad hujuſmodi fermè ſimilitudinem trahit in Gallo, quòd foris multo niterent ebore, multo fulgerent auro, variiſque coloribus arriderent: prætereà Jovis aut Neptuni repræſentarent imaginem, fulmen aut tridentem dextra tenentes, ut planè numem aliquod eſſe viderentur: cùm intùs nihil appareret, præter picem, clavos, araneas, mures, atque id genus ſordes alias, haud quaquam ad exteriorem illam imaginem reſpondentes. Atque hujuſmodi Principum eſſe vitam affirmat: quorum ſi ſtrepitum, & appatatum inſpicias, nihil felicius, nihil deorum vitæ ſimilius: ſin curas, ſuſpiciones, odia contemplere, quibus intùs diſcrutiantur, nihil calamitoſius. *Eraſm. in Adag.*

Poſt Ceolulfum regem res Northumbricæ ad exitum incli- E natæ ſunt, populo per factiones in partes diviſo. Succeſſere ordine ſeptem reges, populari ſeditione exiguo tempore vel pulſi, vel interfecti. Vacavit regnum aliquandiu, nullo ampliùs id ſibi petere audente, utpotè quod velut equum Sejanum, ut ajunt, univerſi formidabant. Res ſanè mirabilis, cùm nullum alioqui tam pernicioſum imperium exiſtat, quin mortales quamplurimi cupiditate acti, illud ipſum ſibi non optent. Sic Northumbria exitio domeſtico agitata, deinceps triginta & ampliùs annis tam finitimorum populorum, quàm Barbarorum injuriis expoſita fuit; namque eam Daci ſedibus patriis egreſſi, & in inſulam delati, interea etiam tenuerunt; quibus ad ultimum devictis, Egbertus Occidentalium Saxonum rex, regnum ita ſeditionibus domeſticis barbaricaque feritate devaſtatum, per deditionem à Northumbris factam, ſuo adjecit Imperio, anno octingenteſimo vigeſimo ſeptimo. *Polid. lib. 4.*

Alfonso Aragonio ſenex quidam in cœna importuniùs inſtabat. Rex nihilo commotior, Aſinos tantùm regibus beatiores eſſe dixit: illis enim, dum comedunt, clitellas auferunt agaſones, mihi verò ſenex iſte cœnanti imponit. *Aegidius,* F *Corrozetus de Dictis, & factis memorab.*

Docti homines.

Extat Sotadis inductio apud *Stobæum ſerm. 96.* de Doctorum calamitatibus:

Ὅτι πάντες, ὅσοι περισσὸν ἠθέλησαν δρᾶν
Ἢ μηχανικὸν ποίημα, ἢ σοφὸν μάθημα,
Οὗτοι κακὸν εἰς τὸν θάνατον τέλος ἐποίησαν,
Ὑπὸ τοῦ γεννήτορος κόσμου κακῶς παθόντες.
Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκε σοφὸν εἶναι,
Καὶ κακῶς ἀνεῖλε τὸν Σωκράτην ὁ κόσμος,
Ἐν τῇ φυλακῇ, κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκε.
Πολύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν.
Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη.
Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς, πνιγεὶς τέθνηκε.
Κύνες οἱ κατὰ Θρᾴκην Εὐριπίδην ἔφαγον.
Τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησεν.

Omnes enim qui aliquid egregium invenire voluerunt, ſive mechanicum opus, ſive diſciplinam ſapientem, in malum mortis finem inciderunt, à genitore mundo malè affecti. So- G cratem mundus ſapientem fecit, ac eundem in carcere malè ſuſtulit; cicuta enim epota mortuus eſt. Diogenes cùm devoraſſet crudum polypum, obiit. Æſchylum ſcibentem delapſa teſtudo oppreſſit. Sophocles acino uvæ deglutito, ſuffocatus interiit. Euripidem canes Thracii vorarunt. Divinum Homerum fames abſumpſit.

Grammatici.

In Grammaticos *Auſonius* ſic ludit, ſi modò vera ſcribens ludere poteſt:

Felix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit unquam:
Nec quiſquam eſt felix nomine Grammaticus.
At ſi quis felix præter fatum extitit unquam,
Is demum exceſſit Grammaticos canones.

Medici.

Glaucus Ephæſtionis medicus, eo mortuo, ab Alexandro Magno cruci affixus eſt. *Plutarchus in Alexandro.* Sed ut infelix Glaucus, ita crudelis Alexander, qui quòd per inobedientiam peccaſſet Ephæſtion, Glaucum ignorantiæ nomine luere voluerit.

Mariti. H

Demea *Terentianus actu 5. Adelphoram ſcena 4.* ſub ſua perſona maritorum infelicitatem deplorat, inquiens:

Duxi uxorem, quam ibi miſeriam vidi! nati filii,
Alia cura, porrò autem, dum ſtudeo, illis ut quàm plurimū
Facerem, contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam,
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero
Odium ——

Amatores.

Apud Plautum in Trin. Lyſiteles adoleſcens multa queritur de miſeriis amantium, ac meditatur amorem ejicere ex animo: Apage ſis amor, tuas res tibi habe, amor mihi amicus ne ſis unquam. *Eraſmus in Adagiis.*

Senes.

Diogenes Cynicus rogatus, Quidnam eſſet in hac vita calamitoſiſſimum? reſpondit, γέρων ἄπορος, id eſt, Senex agens. *Eraſmus in Adagiis.*

Milites.

Erasinades dux quidam Arginuſam obſederat; Infeliciter autem pugnatum eſt, ad internecionem extinctis cùm aliis A quotquot reſiſtebant (inter quos erant Thraſyllus & Pericles) tum ipſo duce. Hujus Eraſinadæ malis & illud acceſſit, quòd accuſatus eſt, quòd pecunias Helleſponticas furatus eſſet. Hujuſmodi fermè *Suidas*. Hinc vulgò per jocum dicebatur de his, quibus res undequaque malè procederent, Militavit cum Eraſinade. *Eraſm. in Adag.*

PERSONARUM, PROPTER QUAS POSSIDETUR. SIC INFELICES DICUNTUR ALII
propter Principes.

Phinees & Ophni, filii Heli Sacerdotis Iſraelitarum nequiſſimi, cùm parentis monita ſpernerent, & ſe, & populum Iſraeliticum, & patrem perdiderunt. Arca Dei à Palæſtinis capta eſt, pater de ſolio ruens cervicem fregit. 1. *Reg.* 7.

Ob ſcelera Achab regis, & Jezabel, Iſraelitæ triennali fame afflictati ſunt. Itaque ab Elia Propheta audire meruit: Non ego is ſum, qui conturbo Iſrael, ſed tu & domus patris tui. 4. *Reg.* 2.

Funditùs perierunt, Ilium ob Alexandri in Menelaum con- B tumeliam: Miletus ob libidinem, & fœdos amores Hiſtiæi Mileſii, dum ille modò in Edonis urbe cum imperio, & poteſtate præſidet, modò ſe Darii conſiliarium gerit, nonnunquam verò in Joniam ſe recepit: Ledon Phocidis urbs ob Philomeli Principis ſui Delphicum ſacrilegium. *Pauſanias in Phoc.*

Tiresias ad Creontem, exponentem cauſam, quare affligerentur tot malis Thebæ, cauſam refert in Lajum, *apud Euripidem in Phœniſſis.*

—— Νοσεῖ γὰρ ἥδε γῆ πάλαι, Κρέον,
Ἐξ οὗ τεκνώθη Λάϊος βίᾳ θεῶν,
Πόσιν τ᾽ ἔφυσε μητρὶ μέλεον Οἰδίπουν.

Ægrotat hæc terra dudum, ò Creon, ex quo creavit liberos Lajus invitis diis, maritumque creavit matri infelicem Oedipum.

Thebani, duce Pelopida, magno prælio Alexandrum Phēræum tyrannum vicerant, & tamen apud omnes ſe propter Pelopidæ obitum victos eſſe affirmarunt. Nam quia præſtantem virtute virum amiſerant, non injuria victoriam illam Pelopidæ vitæ poſt habuere. Multa enim commoda patriæ pa- C raverat, & ad amplificandam propagandamque Thebanorum potentiam non parùm contulerat. *Diodorus Siculus lib. 15.*

Commodi Imperatoris flagitioſæ vitæ urbs Roma pœnam tulit. Nam Capitolium fulmine ictum, unà cum egregia illa bibliotheca, majorum cura parata, concremata eſt: ædes quoque in proximo ſitæ, eandem calamitatem ſenſere. Exortum eſt deinde aliud incendium, quo & ædes Veſtæ, & Palatium, bonaque urbis pars exuſta eſt, ac ſolo æquata. *Dion.*

Cùm Julianus Apoſtata rerum potiretur, novis & horrendis prodigiis totus Orbis fuit diverſis in locis exagitatus, terræmotibus, eluvionibus, exuſtionibus, monſtris, ita ut ipſa rerum natura talem belluam abominari videretur. *Niceph. lib. 10. cap. 35. & 37.*

Phocas cæſo crudeliter Mauritio Imperatore, ignaviſſimus erga hoſtes, Imperii peſtis. Nam præter inteſtinas ſeditiones Venetorum, & (quibus ille favebat) Praſinorum, ex una parte Coſroes rex Perſarum, fœdera rumpens cum Romanis, pernicioſum illud orbi claſſicum cecinit, quo Syria, Palæſtina, Phœnicia, Armenia, Cappadocia, Galatia, Paphlagonia, & plurimę D aliæ regiones ab Imperio ſunt avulſæ. Ex altera, Avares per Europam omnia vaſtantes ſævierunt. In pugna Perſica, ipſo conflictus tempore, ignis cœlitùs quaſi cum largo imbre in Romanos irruit, & dimicantes impedivit, quò minùs victoria potirentur: ſuntque in illa pugna omnes, quotquot Mauritii ſanguine ſeſe cruentarant, miſerabiliter trucidati; ut cùm paulò poſt Heraclius exercitum luſtraret, tantùm duo ſceleris ejus ſocii, ex immenſis illis copiis, Phocæ ſuperſtites fuerint. Acceſſit etiam horrenda fames, & peſtilentia: hyemes item ingentes, ita ut mare frigore congelatum, piſces poſtea emortuos ejecerit. *Niceph. lib. 18. cap. 42. & ſeq.*

Omnium calamitatum, quas ab exactis Longobardis Italia pertulit, nullæ aut majores, aut fœdiores fuerunt, quàm quas ipſa ſacrorum comitiorum diſſidia intulerunt. Ex his tria, Honorii, Clementis, & Anacleti, qui de jure dignitatis cum Alexandro, Gregorio, & Innocentio Pontificibus decertarant æterna Germanorum arma in Italiam, non ſine maxima ipſius pernicie, advocavere: primum verò, & ſecundum, Imperium etiam ipſum parùm ſalutari in futurum exemplo ab Eccleſia disjunxere. Quartum inde exarſit omnium teterrimum, quo Alexandrum tertium Victor quartus inceſſit. Hoc enim non E omnes ſolùm Occidentales Eccleſiæ, ſed etiam regna inter ſe ac provinciæ civitateſque disjunctæ ſunt; quin & Imperator propterea tam gravem, tamque diuturnam cum Eccleſia contentionem inivit, ut non ſolùm in præſens civitates inter ſe univerſas diſtraxerit, ſed etiam in iiſdem familias ipſas inexpiabili in multa ſæcula inducta diſſenſione diviſerit. Hinc enim Gibellinorum, & Guelforum nominibus ex vetere Germaniæ diſſenſione deſumptis, exitiales Italis factiones manarunt, quæ ſub Friderico I. patre exortæ, neque omninò pòſt ſub Henrico VI. filio obliteratæ, demùm ſub Friderico II. nepote effuſiùs erumpentes, ingentes in multos poſt annos ſtrages in Italia edidere. *Sigon. lib. 13. regni Ital.*

Laurentio Medice anno Salutis humanæ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo extincto, pacis Italiæ, quæ illius prudentia cœperat atque ſteterat, fundamenta labefactata ſunt. Is enim quamdiu vixit, veluti ſequeſter, & frænum erat moderandarum cupiditatum Ferdinandi Aragonii, & Ludovici Sforciæ Mediolanenſis. Quorum ſimultates, eo ſublato, Italiam in graviſſimas calamitates, evocato Carodo VIII. F Gallorum rege, præcipitarunt. *Ibid.*

SUBDITOS.

Josias rex ſanctus, non ſolùm peccatorem populum ſuis virtutibus non ſalvavit, ſed & ipſe in peccatis illius mortuus eſt. *Hieron. lib. 4. in Ezech. c. 14.*

CONCIVES, CONTRIBULES.

Achan cùm ex præda Hiericho id clam quæ ſurripuiſſet, Iſraelitæ in prælio ſuperati ſunt. *Ioſue 7.*

Judæi omnes è Babylonia exacti propter Aſinæi, & Anilæi fratrum ſeditionem.

☞ *Vide Tit. Ex humili loco elati, qui denuò reciderunt.*

Judæi omnes Roma ſub Tiberio pulſi ſunt, propter quatuor Judæos improbos.

☞ *Vide Tit. Sarilegorum.*

Chorus de cauſa excidii Trojani *apud Euripidem in Hecuba*, hæc affert:

Κοινὸν δ᾽ ἐξ ἰδίας ἀνοίας
Κακὸν τᾷ Σιμουντίδι γᾷ, G
Ὀλέθριον ἔμολε, συμφορά τ᾽ ἀπ᾽ ἄλλων.

Commune ex privata amentia malum Simoenticæ terræ: pernicies contigit, & calamitas ab aliis.

Rurſus in Troadibus deplorans præſentes ingentes calamitates, ait:

Τάλαινα Τροία, μυρίους ἀπώλεσας,
Μιᾶς γυναικὸς καὶ λέχους στυγνοῦ χάριν.

Miſera Troja, infinitos amiſiſti propter unicam mulierem, & lectum triſtem.

AVOS, PARENTES.

Andromache ad Aſtyanacta, ſuum & Hectoris filium, quem Græci de conſilio Ulyſſis de turri præcipitare decreverant, *apud Euripidem in Troadibus* hæc loquitur:

Ἡ τοῦ πατρὸς δέ σ᾽ εὐγένει᾽ ἀποκτενεῖ,
Ἣ τοῖσιν ἄλλοις γίνεται σωτηρία.
Τὸ δ᾽ ἐσθλὸν οὐκ εἰς καιρὸν ἦλθέ σοι πατρός.

Ipſa patris te nobilitas interficit, quæ aliis exiſtit ſalus. Ipſa H virtus non in tempore venit tibi patris.

Henricus IV. Anglorum rex Ricardum II. regem patruum regnandi libidine cepit, & in carcere perdidit. Ejus nepos Henricus VI. ab Edovardo IV. Eboracenſi duce bis captus, tandem in carcere ſecuri percuſſus eſt. Sic peccatum avi luit nepos, & ſimiliter pronepos Edovardus Henrici filius à Principibus in conſpectu Edovardi IV. trucidatus, in quo familia regia Lancaſtria defecit. *Polyd. lib. 24.*

FILIOS.

☞ *Vide Tit. Filii degeneres, quatenus hac inconſtantia Parentum felicitatem corrumpit.*

Raguel Nepthalenſis Ecbatanis Mediæ habitans, vir pius & locuples, filiam Saram unicam ex uxore Edna habuit, Aſmodæo dæmonum regi ita obnoxiam, ut prima ſemper nocte illius mariti ſeptem numero interfecti fuerint.

Vide Tit. Dæmoniacorum mira cura.

Pindarus ode 3. Pythiorum, Cadmum, & Peleum omnium ſuæ

A ſuæ ætatis felicisſ. facit; quorum hic Thetidis, Nerei ille Harmoniæ Mercurii filius nuptias meruit, eorumque nuptiis Dii cum Muſis interfuere. Cæterùm iidem quoad liberos infeliciſſimi, cum Cadmi filia Thyone à Jove conſtuprata, Pelei filius Achilles bello Trojano interfectus fuerit.

Cadmus, ex Hermione genuit Semelem, quæ caſu fulminis ſubito abortu Bacchum dicitur enixa. Fuerunt Cadmo præter Semelem, Ino, & Autonoe, & Agave. Hæc Echioni nupſit, cui Pentheum peperit à Bacchis, Autonoe ex Ariſtæo, Actæonem à canibus laceratum: Ino Melicertam, & Learchum ex Athamante, æquè omnes tam conjugio, quàm partu infelices. Quod ad virilem ſtirpem attinet, ex eodem Cadmo Polydorus procreatus eſt. Hic, ut Herodotus ait, Labdacum genuit, Labdacus Lajum, ex quo eſt Oedipus natus. *Sab.l.1. En.1.*

Quinquaginta pater filiarum Danaus fuit. Qui ſi orbus liberis eſſet, plures habuiſſet, qui hæreditatem ſuam creviſſent, neque pari modo. *Plutarch. de Nativa in progeniem charitate.*

Hominis laborioſa educatio, incrementum lentum, virtutem, quæ ſera eſt, morte prævertunt plerique Patres. Non B ſpectavit Themiſtoclis Salaminem Neocles, neque Eurymedontem Miltiades Cimonis, neque Periclem Xanthippus concionantem audivit, neque philoſophantem Ariſto Platonem, neque Euripidis Sophoclis victorias genitores eorum balbutientes & verba conantes audierunt: comeſſationes, compotationes, & amores eorum offenſantium homines viderunt, ut commendetur & celebretur hoc unum Eveni Epigramma:

Vide, patri proles luctum uſque quem creet.

Plut. de Amore natorum.

Iphis, pater Evadnes, miſer ſenex, tria ſimul videns funera, filii Eteoclis, interfecti ante Thebas bello Thebano, filiæ Evadnæ, quæ ex petra dolore victa ſe dejecit, & Capanei, mariti filiæ Evadnæ, generi, *apud Euripidem in Supplic.* inquit:

Ἐγὼ γὰρ ἄλλους εἰσορῶν τεκνουμένους,
Παίδων ἐραστὴς ἦν, πόθῳ τ᾽ ἀπωλλύμην.
Εἰ δ᾽ εἰς τόδ᾽ ἦλθον, κἀξεπειράθην τέκνων,
Οἷον στερέσθαι πατέρα γίγνεται τέκνων,
Οὐκ ἄν ποτ᾽ εἰς τόδ᾽ ἦλθον, εἰς ὃ νῦν, κακόν·
C Ὅστις φυτεύσας, καὶ νεανίαν τεκὼν
Ἄριστον, εἶτα τοῦδε νῦν στερίσκομαι.
Εἶεν. τί δὴ χρὴ τὸν ταλαίπωρόν με δρᾶν;
Στείχειν πρὸς οἴκους; κἆτ᾽ ἐρημίαν ἴδω
Πολλῶν μελάθρων, ἄπορίαν τ᾽ ἐμῷ βίῳ.
Ἢ πρὸς μέλαθρα τοῦδε Καπανέως μόλω;
Ἥδιστα, πρίν γε δή ποτ᾽ ἦν παῖς ἥδε μοι·
Ἀλλ᾽ οὐκέτ᾽ ἔστιν, ἥγ᾽ ἐμὴν γενειάδα
Προσῆγετ᾽ αἰεὶ στόματι, καὶ κάρα τόδε
Κατεῖχε χειρί. ——

Ego alios aſpiciens procreantes liberos, liberorum quidem amator eram, deſiderio verò peribam. Quòd ſi ad hoc veniſſem, & periculum feciſſem liberorum, quale eſſet, orbari patrem liberis, nunquam ad hoc veniſſem, ad quod nunc veni malum. Plantans adoleſcentem progenui optimum, at hoc nunc privor. Eſto. Quid jam convenit infelicem me facere? Irene domum? at ſolitudinem videbo multorum atriorum, & egeſtatem meæ vitæ. An ad atria hujus Capanei eam? at ſuaviſſima antea, dum adhuc hæc filii mihi erat: nunc non ampliùs eſt, quæ meum mentum admovebat ſemper ori, & caput D hoc demulcebat manu.

Niobe exiſtimans ſe vita ſemper virente, germinibus propendentem, ac dulce lumen aſpicientem expiraturam, ita tumultuata eſt, ut etiam vitam ſtatueret ob calamitatis gravitatem abrumpere, deoſque cieret, ut abriperetur ad exitium quàm diriſſimum. *Plut. in Oratione conſolat. ad Apollon.*

Polynice & Eteocle fratribus propter regnum Thebanum armis inter ſe decertantibus, infelix mater Jocaſta cum filia Antigone accurrens, ut illam μονομαχίαν impediret, poſtquam utrumque mutuis vulneribus jam tunc concidiſſe vidit, rapto ferro è vulnere alterius filii, guttur ſuum transfixit gladio, & cadens amplexa eſt filios. *Euripides in Phœniſſis.*

De Neſtore *Iuvenalis ſatyr.20.*

Rex Pylius, magno ſi quidquam credit Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.
Felix nimirum, qui per tot ſæcula mortem
Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos,
Quique novum toties muſtum bibit, oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipſa queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine cum videt acris
Antilochi barbam ardentem, nam quærit ab omni, E
Quiſquis adeſt, ſocio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiſerit ævo. —

Chorus Argivarum matrum, cæſos filios ad Thebas ſepulturæ mandantium, *apud Euripidem in Supplicibus.*

Ἀγαμόν μ᾽ ἔτι δεῦρ᾽ ἀεὶ
Χρόνος παλαιὸς πατὴρ
Ὤφελ᾽ ἁμέρα κτίσαι.
Τί γάρ με δεῖ παίδων;
Τὸ μὲν γὰρ οὐκ ἤλπιζον ἂν πεπονθέναι
Πάθος περισσόν, εἰ γάμων ἀπεζύγην.
Νῦν δ᾽ ὁρῶ σαφέστατον
Κακόν, τέκνων φιλτάτων στερεῖσθαι.
Εἴθε με Καδμείων ἔναρον στίχες ἐν κονίαισιν,
Ἐμὸν δὲ μή ποτ᾽ ἔζυγη δέμας
Εἰς τιν᾽ ἀνδρὸς εὐνάν.

Innuptam me ad hanc uſque diem tempus ſenex pater debuerat habere. Quid enim mihi opus liberis? hunc certè non timuiſſem pati dolorem eximium, ſi non nuptiis copulata fuiſ- F ſem. Nunc verò video certiſſimum malum, liberis chariſſimis orbari. O utinam Thebanorum occidiſſent me ordines in pulveribus, meumque nunquam copulatum fuiſſet corpus ad aliquod viri cubile.

Tyndareus pater Clitæmneſtræ, & Helenæ, ad Menelaum generum ſuum, *apud Euripidem in Oreſte:*

Ἐγὼ δὲ τ᾽ ἄλλα μακάριος πέφυκ᾽ ἀνήρ,
Πλὴν εἰς θυγατέρας, τοῦτο δ᾽ οὐκ εὐδαιμονῶ.

Ego certè aliàs beatus ſum vir, niſi in filiabus: hac in parte infelix ſum.

Stilponem, quin ex Philoſophis ſuæ memoriæ omnibus lætiſſimam duceret vitam, laſciva filia non remorata eſt, imò quum hoc Metrocles ei improperaret: Meumnè hoc, inquit, an illius eſt peccatum? Occurrente Metrocle: Illius quidem peccatum, ſed infortunium tuum. Quid ais, inquit ille, nonne peccata etiam lapſus ſunt? Proſus, inquit: Lapſus autem nonne quorum ſunt lapſus, horum ſunt fruſtrationes quoque? Aſſenſus eſt Metrocles. Quid porrò fruſtrationes, ſunt ne illorum, quorum ſunt fruſtrationes, infortunia? Lenibus hiſce verbis & Philoſophicis, hominis Cynici maledictum, inanem G eſſe demonſtravit latratum. *Plutarchus de Tranquillitate animi.*

L. Junius Brutus exhonoratum ejecit urbe collegam L. Tarquinium Collatinum. Deinde mox ipſe in bello cecidit mutuis cum hoſte vulneribus, occiſis à ſeipſo primitùs filiis ſuis, & uxoris ſuæ fratribus, quòd eos pro reſtituendo Tarquinio conjuraſſe cognoverat. Quod factum *Virgilius* poſteaquam laudabiliter commemoravit, continuò clementer exhorruit: Cùm enim dixiſſet:

—— natoſque pater nova bella moventes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

mox deinde exclamavit, & ait:

Infelix, utcumque ferant ea facta minores.

quomodolibet, inquit ea facta poſteri ferant, id eſt, præferant, & extollant; qui filios occidit, infelix eſt. Et tanquam ad conſolandum infelicem ſubjunxit:

Vicit amor patriæ, laudumque immenſa cupido.

D. Auguſt. lib.3. de Civ. Dei, cap.16.

Hircanus III. quinque filios habuit. Ex iis Ariſtobulum, & Antigonum minimè diu regno fruituros cognovit: Alexan- H drum verò, quem ſummo proſequebatur odio, ſucceſſurum.

Vide Tit. Somnia imperii.

Maxima Conſtantini Magni Imperatoris decora, per viginti annos domi foriſque incredibili cum hominum admiratione quæſita (ut qui univerſum terrarum Imperium, deletis tyrannis, conſtituiſſet, pacem Eccleſiæ dediſſet reſtituiſſetque) derepentè inſana domeſtici doloris puniendi libido corrupit. Criſpum enim filium, qui ſe bello Liciniano fortiſſimè geſſerat, in Italiam præcedentem, verbis Fauſtæ uxoris impulſus, in oppido Iſtriæ Pola comprehendi, & ſive ferro, ſive, ut quidam etiam prodiderunt, veneno perimi juſſit. Sunt qui tradant, Fauſtam inſano adoleſcentis amore ſuccenſam, quum ad ſtuprum pellicere caſtum juvenis pectus non potuiſſet, furore percitam, ipſum ad patrem detuliſſe, & ſe ab illo ſolicitatam inſimulaſſe. Alii affectati eum regni crimine obruiſſe, veritam, ne Conſtantinus eximia juvenis indole captus, ipſum ſuis filiis etiam tum pueris anteponeret. Itaque Licinium etiam Cæſarem, Licinii filium, occiſum eſſe, ne quam tyranni impuriſſimi prolem relinqueret, quæ aliquando

A otium Imperii, ac pacem turbare Eccleſiæ poſſet. Helena Conſtantini mater, Hieroſolymis Romam reverſa, cùm nepotem Criſpum præclarum juvenem, atque virtute unà ad laudem gloriamque nitentem, pravo Fauſtæ nurus inſtinctu peremptum audiſſet, ut primùm vacuas filii aures adepta eſt, magno dolore affecta, acri ipſum increpare oratione non dubitavit. Ille verò, ſive facti pœnitentia tactus, ſive pietate materna victus, ſive ſcelere uxoris compulſus, ut facinus commiſſum corrigeret, Fauſtam in balneas ardentes immiſit: ubi nimio æſtu animam præcludente, fœdum in modum expiravit. Qua re vulgò improbata, Ablavius, qui poſtea conſul fuit, diram Conſtantini in ſuos crudelitatem notans, auctore ſancto Sidonio, hos verſus palatinis appendi foribus juſſit:

Saturni aurea ſæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

nimirùm, quòd (ut ille inquit) frigore veneni filium, & calore balnei conjugem peremiſſet. *Sigon. lib.3. Imper. Occid.*

Ludovicus pius Imperator, & pace, & bello felix, niſi ex- B tremam ejus ætatem crebræ fœdæque filiorum deformaſſent ſeditiones. *Sigon. lib.4. regn. Ital.*

Luchinus Vicecomes liberos reliquit Brutium ex concubina, qui quum Laudi Pompejæ præferoci ingenio aliquandiu tyrannidem exercuiſſet, conjurante civitate expulſus obſcuro in pago in Euganeis inops, & meritò miſer interiit. Borſius autem, & Foreſtinus gemelli detecto Fuſcæ matris, cum Galeacio, mariti ex fratre Stephano nepoti, inceſtu, tanquam ex damnato nati concubitu, hic tetro in carcere, ille verò fuga elapſus, exilio perierunt. Eandem exilii fortunam tulit Novellus, qui nequaquam animæ degeneri militiæ adſuetus, propinquorum ſuorum hoſtibus ſemper adhæſit. *Iovius de vita Luchini.*

NOVERCAS.

☞ *Conſule Titulum, Inceſtus cum Noverca, item Odium privignorum.*

SERVOS.

☞ *Ex Titulo, Perfidiæ dominorum, & ſervorum exempla huc transferantur. Illic Habitus improbi, hic Communi-* C *cationis habetur ratio.*

CONSERVOS.

Conſervi ob ſervi perfidiam erga dominum etiam ipſi necati à Romanis. ☞ *Vide Titulum, Pœna perfidiæ ſervorum erga dominos.*

COGNATOS.

Expulſis regibus comitiis centuriatis, ut Servius Tullius populum deſcripſerat, Conſules creati Lucius Junius Brutus, & Lucius Tarquinius Collatinus Lucretiæ Maritus, Ægetii fratris Tarquinii Priſci filius, ut dicit Livius: nepos verò, ut Dionyſius. Brutus quum non modò regem, ſed ne regium quidem nomen vellet in Urbe ſupereſſe, magiſtratum Collegæ abrogavit, quòd Tarquinius vocaretur; iſque bonis ſuis ſumptis, ultrò Collatium habitatum migravit. Hoc factum *Cicero 3. Officiorum* ſubindicat, non admodùm fuiſſe conjunctum cum honeſtate, ſed quia utiliſſimum fuit patriæ, idcircò honeſtum etiam videri.

FRATRES, SORORES.

☞ *Huc confer Titulum, Perfidia fratrum, item, Inceſtus* D *fratrum, item, Odium fratrum, quatenus ſcilicet ex fraterna improbitate fratres, & ſorores infelicitatis notam contrahunt.*

Romani, quum Caſtori & Polluci condidiſſent templum ad lacum Juturnæ, ferè non aliter quàm Caſtoris nominabant: in quo nimirùm vel erant inciviles ipſi, vel immodeſtus, & ingratus Caſtor, qui quum mortalis eſſet ſuapte natura, immortalitatem beneficio fratris nactus, eam gratiam Polluci referebat, ut ſe præferendo, nomen, famam, ac propè vitam ejus premeret & obſcuraret, futurus ipſe alioqui obſcurus, & prorſum ignotus, ni alter ſubveniſſet. Sed nimirùm priùs hoc Pollux præcaverat; nam dum à patre impetrat, ut alternis tantùm viverent diebus, effecit, ne unquam alter altero frui poſſet. *Lud. Viv. in lib.13. D. Aug. de Civit. Dei, cap.14.*

Præclarè Telemachum finxit Homerus, quòd fratre careret, in calamitate numerare:

Vſque adeo noſtrum peſſum genus
Iupiter ——

Plut. de pietate erga fratres.

Hieronymi Syracuſani regis impotens ſororum domi- E natus impulit populum ad ſeditionem, qua ille cum univerſa gente deletus eſt. *Ludovicus Viv. de Chriſt. fœm. lib.2.*

CONJUGES.

Salomon rex Judæorum ſapientiſſimus, concubinarum irretitus amoribus, & à pietate, & à beatitudine defecit.

Zares Aman marito conſilium dedit, ut erigeret crucem L. cubitorum, & à rege peteret, uti in eam Mardochæum ſibi attollere liceret. Verùm Zares conſilium Dominus in ipſum Aman convertit. *Eſther 5.*

Dejanira apud Sophoclem Trachiniis ſuam infelicitatem conjugalem deplorat, quæ à monſtroſo primùm Achiloo fluvio expetita, multo certamine ab Hercule liberata fuerit, ſubinde Herculis uxor, propter aſſiduas illius peregrinationes atque pugnas, novos ſemper timores concipiat:

—— Ἀεί τιν᾽ ἐκ φόβου φόβον τρέφω
Κείνου προκηραίνουσα. νὺξ γὰρ εἰσάγει F
Καὶ νὺξ ἀπωθεῖ διαδεδεγμένη πόνον.

Sed & illum in amplexus interdum venire, multo tempore interpoſito, eleganter ſimilitudine oſtendit:

Κἄφυσα μὲν δὴ παῖδας, οὓς κεῖνός ποτε
Γήτης ὅπως ἄρουραν ἔκτοπον λαβὼν
Σπείρων μόνον προσεῖδε κἀξαμῶν ἅπαξ.

Admetus Theſſaliæ rex, mortua pro ipſo uxore Alceſtide ſera tandem pœnitentia ductus, miſerè ſe diſcruciat, vitamque ſibi acerbam fore putat, inter cætera & illud *apud Euripidem in Alceſtide:*

Ζηλῶ δ᾽ ἀγάμους, ἀτέκνους τε βροτῶν.
Ἡ μὲν γὰρ ἔνδον ἐξολεῖ μ᾽ ἐρημία.
—— Τί μοι ζῆν δῆτα κύδιον, φίλοι,
Κακῶς κλύοντι, καὶ κακῶς πεπραγότι;

Famuli, quòd ſatius fuiſſet mori ipſum Admetum, quàm amittere tot virtutibus ornatam conjugem Alceſtidem, cujus mortem vivens doliturus ſit perpetuò, *apud Euripidem in Alceſtide ajunt:*

Καὶ κατθανών τ᾽ ἂν ὤλετ᾽, ἐκφυγὼν δ᾽ ἔχει
Τοσοῦτον ἄλγος, οὔ ποτ᾽ ἐκλελήσεται· G
Ὃς ἀρίστης ἀμπλακὼν ἀλόχου
Τῆς δ᾽, ἀβίωτον τὸν ἔπειτα χρόνον βιοτεύσει.

Et mortuus periiſſet utique: effugiens verò, habet tantum dolorem, cujus nunquam obliviſcetur: qui optima fraudatus uxore hac, non vivendam in poſterum ampliùs vitam vivet.

Orestes, audiens Melaum à Troja reverſum, adducta una Helena, *apud Euripidem in Oreſte,* inquit:

Εἰ μὲν μόνος ἐσώθη, μᾶλλον ἂν ζηλωτὸς ἦν.
Εἰ δ᾽ ἄλοχον ἄγεται, κακὸν ἔχων ἥκει μέγα.

Si ſolus ſoſpes fuiſſet, magis beatus eſſet, ſed ſi uxorem adduxit, malum habens venit ingens.

Αἰγύπτου γάμος, id eſt, Ægypti nuptiæ, inauſpicatæ, & infelices dicebantur. Sumptum à notiſſima fabula Ægypti, qui Filios quinquaginta, totidem fratris filiabus maritos dedit. At hi præter unum omnes à ſponſis jugulati ſunt. *Eraſm.*

Philippus rex Alexandrum filium ſummæ ſpei ſummo proſequebatur amore. At ex nuptiis, & amoribus ejus, contracto aliquatenus ſimul gynæcei ægritudine regno, H multa jurgia inter eos extitere, eaque Olympiadis acerbitas, ſuſpicioſæ mulieris, & triſtis, quòd incenderet Alexandrum, exaggeravit. In nuptiis Cleopatræ, quam Philippus virginem amore præter ætatem captus duxit, cum in convivio Attalus, qui illius fuit avunculus, vino incaluiſſet, hortatus eſt Macedonas, ut expoſcerent à diis juſtum ex Philippo, & Cleopatra regni ſucceſſorem. Exarſit inde Alexander, ac cùm dixiſſet: Quid nos tibi, ſcelus? num adulterini videmur? ſcypho eum petiit. In eum Philippus ſtricto enſe exſiliit, ſed bona utriuſque fortuna impacto per iram, & vinum, pede eſt prolapſus. Cui Alexander inſultans: Hic verò Macedones, inquit, in Aſiam parabat ex Europa tranſmittere, qui ex lecto in lectum tranſgrediens procidit. Poſt hanc inſolentiam abduxit ſecum Olympiada, quam in Epiro collocavit. Ipſe contulit ſe in Illyricum. Interea Corinthius Demaratus, hoſpes familiæ regiæ, & liberè loqui apud regem ſolitus, inviſit Philippum. Poſtquam primæ ſalutationes, & amplexus defluxere, percontante Philippo, qui conveniret inter Græcos? Sicilicet, inquit, convenit, Philippe,

A lippe, ſolicitudinem gerere Græciæ, qui domum tuam tanta ſeditione, & malis obruiſti. Ita ad ſe reverſus Philippus, miſſis nunciis, flexum Demarati opera Alexandrum revocavit. *Plut. in Alex.*

Herodes Judæorum rex, magna virtute, & felicitate regnum adeptus, quàm foris propitiam habuit fortunam, tam domi adverſam, maximè quod ad conjugium attinet. Flagrabat enim legitimo conjugis Mariamnes formoſiſſimæ amore, quàm qui ardentiſſimè, nè illis quidem exceptis, de quibus à ſcriptoribus proditur. Ea fœmina, cæterùm pudica & inviolatæ fidei, innatam habebat muliebrem quandam moroſitatem, & ſuperbiam, quòd regio ſanguine nata eſſet, improbiùs illudens mariti patientiæ, ita ut non habita regiæ potentiæ ratione, non rarò contumelioſiùs eum tractaret, apertè etiam ſorori ejus Salome, & matri exprobraret humilitatem generis: quæ cauſa fuit implacabilis inter eas mulieres odii. Poſt Herodis à Cæſare reditum, cùm meridiano tempore quietis cauſa in cubiculum ſeſe rex contuliſſet, pro conjugali affectu Mariamnen accerſiit. Hæc autem introgreſſa quidem eſt, ſed unà cubare noluit, rogantem contemnens, & inſuper patris Ale-
B xandri, ac fratris ſui Ariſtobuli necem opprobrans. Quo indignè ferente, & vix ab inferendis mulieri manibus temperante, poſtquam ex ſtrepitu commotionem eam ſenſit ſoror Salome, ſubmittit jamdudum ſubornatum pincernam, qui indicaret ſolicitatum ſe à Mariamne, ut ei operam commodaret in propinando regi amatorio poculo: ea voce rex modò non ad furorem concitatus, eunuchum Mariamnes fidiſſimum tormentis ſubjecit. At illo nullius veneficii conſcio, ſed id tantùm prodente, offenſam Herodi mulierem, propter ea quæ Sohemus cuſtos corporis ei indicaſſet (ei enim mandarat, ad Cæſarem profectus, ut ſi quid ſibi humanitùs contingeret, Mariamnem cum matre ejus interficeret) Herodes Sohemum de adulterio ſuſpectum ſtatim interfici juſſit, licèt inſontem, ipſam verò reginam veneficii accuſatam, ad ſupplicium duci imperavit. *Ioſephus lib.15.cap.11. Antiquitatum.*

Herodes propter Herodiadis uxoris ambitionem regno excidit.

☞ *Vide Tit. Invidiæ.*

Cato minor fortuna uſus eſt in mulieribus parùm proſpe-
C ra. Ei nullius adhuc conſuetudine mulieris uſo deſponſata fuit Lepida Scipioni Metello ante pacta, quæ ſponſalibus diremptis tunc ſui juris erat. Cæterùm quòd pœnitentia Scipionem ante nuptias ſubiſſet, omnia molitus duxit eam. Quare incenſus vehementer eſt, & exarſit Cato, voluitque id judicio perſequi; ſed retentus ab amicis, ira & juventute conſultricibus, ad jambica ſe convertit, multiſque probris Scipionem proſcidit. Felle in eo ſcripto uſus eſt Archilochi, relicta ejus laſcivia, & nugis puerilibus. Inde Attiliam Sorani filiam matrimonio ſibi conjungit: cum qua prima concubuit, verùm non cum ſola, ut Scipionis familiaris Lælius, cæterùm felicior ille longo quo vixit tempore, unam quam primam duxerat, cognovit mulierem. Eam, tametſi duos ex ea tuliſſet liberos, exigere impudicam eſt compulſus. Hinc Martiam duxit Philippi filiam, quæ eſt proba fœmina habita. Fuit hujus celebre nomen. *Plut. in Catone.*

M. Antonius à Cleopatra, uti Hercules ab Omphale, corruptus.

☞ *Vide Tit. Voluptatibus omnis generis dediti.*

Anilæus propter uxoris idololatriam vita, & regno priva-
D tur.

☞ *Vide Tit. Obſcuro loco nati qui clari evaſere.*

Tiberius Imperator habuit uxorem primam Agrippinam, M. Agrippæ filiam, neptem Pomponii Attici, ex qua filium Druſum accepit, cum qua conjunctiſſimè vixit, coactuſque eſt hanc gravidam invitus dimittere, licèt plurimùm amaret, ac Juliam Auguſti filiam ducere uxorem alteram, cujus mores improbavit. Quamvis enim ab initio mutuo amore cum hac viveret, mox ortæ diſſenſiones fecerunt, ut perpetuò ſecubaret, ejuſque tædio ab urbe ſecederet. In Rhodo autem exiſtens nuncium accepit, ob libidines atque adulteria Juliam uxorem damnatam, & repudium factum; quo nuncio mirum in modum lætatus: licèt literis Auguſtum patrem precaretur, ut ei dona relinqueret. Cui tamen poſt mortem patris Auguſti ne peculium quidem à patre conceſſum, quòd nil de eo teſtato caviſſet, reliquit: Sed hanc interfecit Tiberius, teſte Tacito. *Cuſpinianus.*

Philippus Pulcher Francorum rex, ut felix filiis, ſic nuribus infelix. Omnes illæ probri cauſam dixere, Joanna Philippi Longi abſoluta, Othonis Burgundiæ Comitis filia major Margarita Ludovici, Blanda Caroli, flagitii convictæ. Adul- E teri verendis convulſis cute nudati, unco tracti, reſti tandem ſuſpenſi, pœnas inſeſſi nobiliſſimi thori graves illuſtreſque dedere. Janitor conſcius, cervice luit. Ludovicus ex Margarita Roberti Burgundiæ ducis filia Joannem filiam tulerat. Adultera uxore in cuſtodia morbo, an (quando variant auctores) anima intercluſa defuncta, Clementiam Roberti regis Siciliæ ſororem, Martelli filiam, uxorem accepit. Blanda Caroli, minor Othonis Burgundionis F. in cuſtodiam perpetuam conjecta, nullas prætereà pœnas dedit, quòd ea viva ducere aliam uxorem poſſe Carolum Mathildis illius mater diceret: ab eo enim illam è ſacro lavacro ſuſceptam, nec matrimonium juſtum extitiſſe. Hoc confictum creditur ad ſalutem capitis nobiliſſimæ fœminæ, in gratiamque ſocerorum Othonis, & Mathildis. Dirempto igitur illo matrimonio, alterum contraxit Carolus, auctore Pontifice Maximo, uxore ducta Joanna Eburovicis. *Aemil. lib.8.*

Isabella Balduini quarti Hieroſolymorum regis ſoror, hæreditarium regni jus trahebat. Eam, Herfrando Toronio deſponſatam, Conradus Montisferrati Marchio rapuit. Quo à duobus Aſſaſſinis Tyri in foro trucidato, Henrico Campaniæ F Comiti nupſit; qui dum neglecto regni titulo domum redire parat, Ptolemaide è feneſtra præceps periit. Nupſit tertiò Almerico Guidonis Luſignani fratri, Cypri regi. Cui propter ignaviam Latini proceres Joannem Brenum è Gallia vocatum in regni Hieroſolymitani jure ſubſtituere, ducta in uxorem Jole, Iſabellæ ex Conrado filia. *Blondus lib. 7. Decadis ſecundæ.*

Maximiliano I. Imperatori poſt mortem uxoris Mariæ Burgundæ multa adverſa contigere. Nam & paulò antè Franciſcus filius diem ſuum obiit, atque Georgius. Flandrenſes Philippum filium in ſuam acceptarunt tutelam, invito patre. Margarita filia Carolo octavo, Ludovici regis Franciæ filio, deſponſata, & in Galliam jam abducta, omnes provinciæ, quas in dotem ab uxore receperat, ab eo alienatæ ſunt; imò deficientes contempſerunt, adeò ut qui paulò ante fortunatiſſimus omnium Princeps habebatur, amiſſa conjuge, liberis ſpoliatus, deficientibus provincialibus, omnium eſſet ſua tempeſtate miſerrimus, inediam ſæpè perpeſſus, & irriſionem à ſuis, ne dicam graviora. Non tamen animo conſternatus, æquiſſimè tulit adverſitates, multatiſque civibus, qui auctores G defectionis fuerant, poſt biennium omnes recuperavit provincias. *Cuſpinianus.*

HOSTES HOMINES.

Sacros.

Henricus IV. Imperator, quum Romæ Paſchali II. Pontifici jurejurando adactus promiſiſſet, ſe in poſterum ab Eccleſiæ locis temperaturum, duodecimque Germani Principes pro eo ita facturum ſpopondiſſent: Pontificem atque univerſos Cardinales cepit, omniaque eorum bona diripuit; neque ante eos carcere emiſit, quàm omnia quæ volebat, ab eis impetraſſet. *Fulg. lib.9. cap.6.*

Philippus Francorum rex cognomento Pulcher, iratus Bonifacio VIII. quòd ipſum regno indignum pronunciaſſet, & Alberto, cui pertinaciter coronam Imperii denegarat, inſuper & Francorum regnum aſtruxerat, Sarræ Columnii, & Nogareti Galli equitis opera, Pontificem incautum, & nihil tale ti- H mentem, intra Anagninos muros oppreſſit. Quo facto, Flandrorum gravi bello petitus, & ſuos ad Curciacum cæſos audivit, & Pariſienſium ſeditione fatigatus, magnaque avaritię nota ſublatis Templariis, & Judæis è regno pari cupiditate ejectis, regnum nepotibus reliquit, tribus ejus liberis alio ſuper alium ſine filiis decedentibus. Quæ res imprimis Gallos ad internecinum cum Anglis bellum excitavit, Philippo Valeſio regnum ſibi & Edovardo Anglo certatim vindicantibus. *Egnat. lib.1. cap.2.*

Fridericus I. Barbaroſſa, cùm Alexandrum III. Pontificem infeſtis armis opprimere tentaret, contra Venetos, qui ejus patrocinium ſuſceperant, movens, ab illis navali prælio ſuperatus, Venetiis Pontificis pedes ſupplex oſculari fuit coactus. Mox ſumptis contra Turcas armis, in medio belli ardore Cydni fluminis undis abſorptus eſt. Ejus filius Fridericus, Pontificum quoque inimicus, cùm miſeram Italiam Guelforum & Gibellinorum factionibus infeciſſet, miſerabiliter à filio ſtrangulatus interiit, ſublata mox à Carolo primo Siciliæ rege omni ejus ſobole. *Egnat. lib.1. cap.2.*

Vene-

A Item 4. *Triſtium 1.*

Meque tot adverſis cumulat, quot littus arenas,
Quotque fretum piſces, ovaque piſcis habet.
Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,
Poma per autumnum, frigoribuſque nives:
Quàm mala, quæ patior toto jactatus in orbe,
Dum miſer Euxini littora ſæva peto.

Item 5. *Triſtium 2.*

Littora quot pelagus, quot amœna roſaria flores,
Quotve ſoporiferum grana papaver habet:
Sylva feras quot alit, quot piſcibus unda natatur,
Et tenerum pennas aera pulſat avis:
Tot premor adverſis: quæ ſi comprendere conor,
Icariæ numerum dicere conor aquæ.

EXPEDITIONEM INFAUSTAM.

Xerxis feliciſſimi Perſarum regis infelix expeditio contra Græcos, hiſtoriarum monumentis conteſtata. *De ea Iuven. ſatyr.10.*

—— creditur olim
B *Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax*
Audet in hiſtoria, conflatum claſſibus iſdem,
Suppoſitumque rotis ſolidum mare, credimus altos
Defeciſſe amneis, epotaque flumina Medo,
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
In Corum, atque Eurum ſolitus ſævire flagellis
Barbarus, Aeolio nunquam hoc in carcere paſſos,
Ipſum compedibus qui vicerat Ennoſigæum;
Mitius id ſanè, quod non & ſtigmate dignum
Credidit: huic quiſquam vellet ſervire deorum.
Sed qualis rediit? nempè una nave cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria pœnas.

Sigismundus Imp. Martini V. Papę auctoritate contra Huſſitas CLM. armorum præſertim Germanorum duxit, ſed infelici eventu, cùm ne inducias quidem, niſi certis conditionibus, ab hoſtibus impetrare potuerit, ut ſibi Pragæ coronam ſumere liceret. *Dubrav. lib.24.*

INFELICITATIS CONSERVATIO.

C Huc Pertinet

HOMINUM INFELICITAS INCONSTANS.

☞ *Vide Tit. Felicitas inconſtans.*

CONSTANS. Quoad Inſtrumentum.

Cambyses eo enſe, quo Apim vulnerarat, ſeipſum imprudens necavit. *Herodotus.*

TEMPORUM INFELICITAS CONSTANS. TEMPUS INFELIX.

Iiſdem. Tempus infelix idem. Sceleris, & Pœnæ.

Quo die Agathocles hoſpitem, & ſocium Opheltam, Cyrenæorum ducem auxiliarium, perfidè interfecit, eodem filii ei perierunt, & exercitus defecit. *Diodor.*

Nero eodem die periit, quo Octaviam uxorem immerentem olim interemerat. *Sueton.*

Constantinus VI. Iconomachus, quo die Nicephorum patruum excæcaverat, eodem ipſe poſt quadriennium oculis privatus. *Paul. Diacon. Sigebert. & Zonaras.*

Cladis, Excidii.

Templum Hieroſolymitanum primum à Salomone ſtru-
D ctum, à Nabuchodonoſor rege Babyloniorum incenſum eſt, die decimo menſis Auguſti. Tertium, quod, templo à Zorobabel ædificato diruto, rex Herodes magnificè extruxerat, ſub Tito Imper. conflagravit eodem ejuſdem menſis die. *Ioſeph. lib.7. c.9. & 10. Iud. belli.*

Hieroſolymam Pompejus Magnus Junii Olymp. 179. C. Antonio, & M. Tull. Cic. Coſſ. cœpit. Poſt an.27. eodem die ab Herode rege capta fuit. *Ioſeph. lib.14. cap.ult. Antiq.*

Perſæ tertiam, & ſextam menſis Broedromionis tanquam lugubres, & defamatiſſimas vitarunt: quibus diebus in pugna Marathonia, & ad Platæas, & ad Mycalen, à Græcis victi, magnas clades perpeſſi ſunt. *Herod.*

Menſis Thargelion fuit manifeſtè Barbaris infauſtus. Alexander regis Darii præfectos hoc menſe ſuperavit ad Granicum. Ejuſdem menſis die vigeſimoquarto Carthaginenſes in Sicilia cæſi à Timoleonte ſunt, quo die ejuſdem menſis & Troja putatur capta. *Ephorus, Calliſthenes, Damaſthes, & Phylarchus,* auctores ſunt. *Plutar. in Camillo.*

E diverſo menſis Metagitnion, quem vocant Bœotii Panemam, parùm fuit Græcis ſecundus. Hujus menſis die ſeptimo ſignis collatis ad Cranona, Antipater victos funditùs evertit, E & fuerant ante juxta Cheroneam affecti à Philippo hoc eodem die, eodem menſe, & anno. Archidami Spartani copiæ, quas tranſportaverat in Italiam, à barbaris incolis cæſæ fuerunt. *Plut. in Camillo.*

Ad Alliam cæſi ſunt à Gallis Romani ad xv. Kal. Sext. Pugnatum plenilunio circa ſolſtitium æſtivale, quo die ante quoque ingens Fabiorum accepta clades ad Cremeram fuerat, ex qua familia trecenti fuerant ab Hetruſcis cæſi. Cæterùm obtinuit, ut dies ex clade poſteriore, à flumine Allienſis vocaretur. *Plut. in Camillo.* Ea certe die cùm Vitellius concilium edixiſſet, neglectæ religionis ergò, Pontificatum amiſit. *Alex. lib.4. c.20.*

Valentinianus I. Niceæ Bithyniæ Imp. dictus à militibus, & Ancyræ relictus, biſſextum Februarii, tanquam ominoſum, & infauſtum vitabat: quo aliquoties Reſpublica Romana paſſa eſt jacturam. Eo elapſo, progreſſus medio campo, ad celſius tribunal perductus, habituque principali circumdatus, & corona, Auguſtus eſt nuncupatus, cum acclamationibus, & laudibus amplis ac ſolitis, vigeſimaquinta die Februarii. *Cuſpin.*

Carthaginenſes diem vigeſimum ſecundum, ut qui calamita- F tes ipſis plurimas, & maximas ubique attulerit, habent nefaſtum. *Plut. in Camillo.*

Othocarus Boemorum rex ad Lavam oppidum Moraviæ à Rodolfo I. Imp. cæſus fuit, anno Salutis humanæ M.CC.LXXIIX. 26. Auguſti, quæ D. Ruffo ſacra eſt: Et hinc inter infandas infauſtaſque à Boemis habita: Quæ opinio poſthac confirmata eſt cæde Joannis Regis Boemiæ, eadem die in prælio ad Creſſiacum, anno Salutis humanæ M.CCC.XLVI. ab Anglis interfecti, dum Gallorum regi Philippo VI. opem ferret. *Dubr. lib.17. & 21.* Quinetiam Ludovicum Hungariæ, & Boemiæ regem anno Salutis humanæ M.D.XXVI. die XXIX. Auguſti ad Mohazium deſertum à ſuis, à Turcis profligatum, in palude ſubmerſum putant, ob diem Divi Ruffi vicinam. *Dubr. lib.33.*

Diverſis. ☞ *Vide Tit. Dies infelices.*

Augustus mirum in modum obſervavit, ne poſtridie Nundinarum quoquam proficiſceretur, aut Nonis quicquam rei feriæ inchoaret, quòd illas infortunatas multis fuerat expertus exemplis. *Alex. lib.4. c.20.*

Inconſtans. ☞ *Vide Tit. Felicitas inconſtans.*

LOCORUM INFELICITAS CONSTANS. G

LOCUS IDEM INFELIX IISDEM.

Idem locus Sceleris, & Pœnæ.

Quo loco Andronicus Oniam Summum Pontificem perfidè occiderat, eodem ab Antiocho rege purpura exutus fuit, & necatus. *2. Machab.4.*

Cùm ad Hercæi Jovis aram Neoptolemus Achillis F. Priamum jugulaſſet, ipſi poſtea accidit, ut ad Appollinis Delphici aram interimeretur. Venit inde in proverbii conſuetudinem, ut quoties, qua quis alterum affeciſſet injuria, eam ipſe pateretur, Neoptolemea ultio diceretur. *Pauſ. in Meſſen.*

Turulius M. Antonii præfectus, cùm arbores ad fabricandas naves in luco Æſculapio ſacrato accepiſſet, inter ipſum miniſterium, devicto Antonio ad Actium, imperio Cæſaris Auguſti morti deſtinatus, in eo loco quem violarat, à militibus occiſus eſt, ut eodem exitio & everſis jam arboribus pœnas lueret. *Val. Max. lib.1. c.2.*

Solebat Appius Claudius decemvir carcerem, qui unus in urbe fuit, Romanæ plebis domicilium vocare. Sed ipſe in or- H dinem redactus, tribunique plebis juſſu in eum locum conjectus, inter ſicarios, & latrones infeliciter expiravit. *Sabell. lib.10. c.4.*

Galeacius Vicecomes, à fratre Marco apud Ludovicum Bavarum Rom. Imp. anno 1326. Romam ad accipiendam coronam iturum delatus, in Modœtiana arce Nonis Julius cum Actio F. duræ cuſtodiæ traditus eſt, non omninò iniqua ſorte, ut fabrefacti paulò antè ab ſe tetri carceris Furnum, ita à depreſſa teſtudine vocatum, primùm experiretur, quem adverſarum partium captivis ad pœnam paraviſſet. *Iov. in vita Galeacii.*

Quo olim loco Caſimirus II. Polonorum rex Feliciani Ungari filiam Claram conſtupraverat, eodem poſtea ejus filię duę, poſt ejus obitum, à Ludovico Ungariæ rege Imperio dejectæ ſunt. *Cromer. lib.12. & 13.*

Selimus Imperium affectans, ad Ciurleum pagum prope Byzantium magno prælio victus, vix Varnam effugit. Rerum inde potitus, necatis fratribus, paucos poſt annos eodem in loco, peſtifero atrocique ictus morbo, immaturum acerbiſſimumque vitæ finem invenit, magnum Deo primæ temeritatis

ſce-